

DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS

1473 Cap. LXIX. Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. Nec est blasphemiae Helvidii acquiescendum qui dixit: Fuit virgo ante partum, non virgo post partum. PL 58, 996

RURICIUS (Senior) Lemovicensis¹ († post 507)

EPISTOLA X

1474 [...] Nam et Dominus in Evangelio, cum ei a circumstantibus diceretur: *Ecce mater tua, et fratres tui quaerunt te, volentes videre te ita respondit: Quae est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et ostendens apostolos, sequentes se: Nonne hi, qui faciunt voluntatem Patris mei?*² Mater enim Christi dici possumus, quando Christum corde gestamus. Nam et S. Maria, quae et virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, Dominum nostrum non complexu virili, sed fide maritante concepit. PL 58, 90

S. AVITUS Viennensis Allobrogum (ca 450 † ca 518)

EPISTOLAE

1475 Ep. II. [...] Filium Dei, cum Patre ante saecula permanentem, quem idcirco ad salutem nostram descendisse de caelo ut corpus assumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuisse contrudi; cum Dei Filius, utique Deus, qui dixerat per prophetam: *Caelum et terram ego imleo,*³ non potuerit venire quo erat, nisi per susceptionem carnis acquiesceret esse quod non erat. Quam conclusionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in synodo superius designata studiose ab auditoribus urgeretur, ut Mariam virginem Θεοτόκον, id est quae Deum peperisset, pronuntiaret atque subscriberet, ad ingenii nequitiam fraude conversus, Χριστοτόκον, quae Christum tantummodo videretur edidisse, confessus est: ut scilicet

PL 59, 204

¹ Vel Lemovicinus (Clavis 985).

² Matth. XII, 47, 48, 49.

³ Ier. XXIII, 24.

● PL 58, 760, 763, 825, 843, 854, 855, 856, 881, 902, 905, 907, 911, 919, 981, 982, 1068, 1077, 1101, 1106, 1110, 1112.

divisa credatur persona quae servat divinitatis naturam, ab ea quae sustinuit passionis iniuriam.

PL 59, 205 Quem Pater sine matre genuit, genitrix sine patre concepit, hic aequa Dei filius et hominis erit. Super sacramento tamen isto Gabrielem archangelum consulamus, principem videlicet ministrorum, cui ineffabilia perspicuae maiestatis arcana, utpote qui indefessae obsecutionis ministerio conspectibus perpetuae claritatis assistat, non intelligenda tantummodo, sed contemplanda monstrantur. Hic quippe primus legationem coelorum terris attulit; hic verbo virginem fecundatam divini germinis promissione dotavit; hic unius mulieris salutatione omnem mundum salute complevit. *Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*¹

DE MOSAICAE HISTORIAE GESTIS POËMATA

- | | |
|---|------|
| <small>PL 59, 364</small>
Lib. V. [...] Dum sacrum populo victum candardia manna
Ferrent, et coeli frugem terrena viderent,
Per quam sublimis praediceret ante figura
Edendum ex utero purum sine semine corpus. | 1477 |
| <small>PL 59, 373</small>
Lib. VI. [...] Tu Mariam sequeris, dono cui contigit alto
Virginis et matris gemina gaudere corona,
Conciperet cum carne Deum, coelique Creator
Intraret clausum reserans mysteria ventrem.
A genitrice satus, sed quam formaverat ipse,
Elegit nitidam de qua procederet alvum,
Solus qui carnis proprium disponeret ortum,
Praesciretque diem longe, tempusque videret
Quo pariendus erat: praecessit membra voluntas.
Ipse Deus Verbum, vestitum, viscere sumpto,
Qui cum Patre iubet, materno in corpore servit.
Suscipit et famulum Dominus, qui iusserat aevum.
Tempora per patrem, per matrem semina nescit.
Illa quidem fecunda fuit, quae pondere casto
Factorem portare suum, Dominumque perennem
Edere promeruit; sed nec tibi gloria tanti
Defuerit facti, Christum si credula corde
Concipiens, operum parias pia germina coelo. | 1478 |

¹ Lc. I, 35.

• PL 59, 20, 23, 216, 244, 301, 305, 308.